AMaſonia ē regio. ꝑtim in aſia. ꝑtim i europa q̄ albanie ē vicina. Et ab amazonibus ē vocata. Fuerūt aūt amazones gotoꝝ qui exierūt de inferiori ſcithia europe vt dicit Iſido. li. ix. q̄ maritis ſuis in dolo interfectis viroꝝ ſuoꝝ arma arripiētes hoſtes virili animo aggreſſe. de maritoꝝ ſuoꝝ nece ſumpſerūt debitā vltionē. Nā oēm maſculū a ſene vſq; ad puulū i ore gladij ꝑimerūt. ⁊ feminas reſuātes ⁊ hoſtiū ſpolia deripiētes. deinceps ꝑiter ſine maſculoꝝ ꝯſortio viuere decreuerūt q̄ duas reginas. ſ. Marthesiā ⁊ Lampedonā maritoꝝ exēplo (cuꝫ ſꝑ duo ſolebāt eſſe reges) ſuꝑ ſe ſtatuerūt: q̄rum vna ꝓcedēs cū exercitu ꝯ̄ hoſtes dimicabat. altera interim rēpublicaꝫ gubernabat effecte ſunt aūt tam fortes breui tempore bellatrices ꝙ magnam parteꝫ aſie fere. C. annis dominio ſuo ſbiecerunt. inter ipſas vͦo nullum penitus maſculum viuere vel morari ratōne aliqua ꝑmiſerūt. ex finitimis gētibꝰ maritos ſobolis gratia elegerunt: ad quos ſtatutis temꝑibus accedentes prolem conceperunt. Sed tpe completo ad ꝯceptionis officium inſtituto: maritos a ſe recedere et alias manſiones querere coegerūt. maſculos autē filios vel emactabant vel debito temꝑe pr̄ibus tranſmittebant: filias vͦo ſibi reſeruantes eas ad ſagittandum ⁊ venandum informabāt: et ne in ſagittarum ictibus mamillarum groſſicie impedirētur eis in. vij. vt dr̄ anno māmillas dextras exurebāt. ⁊ ideo amaſones ſunt dicte. i. ſine māma vt dicit Iſidorus libro. ix. has vnimānias antiquitus multi vocauerūt. Quarum feritatem domuit vt dicitur p̄mo hercules: deinde achilles. Sed hoc potius fuit per amicitiam q̄ꝫ per vires: ſicut in geſtis grecorum ⁊ Amaſonum continetur. Dicit autem Iſidorꝰ ꝙ per alexandrum magnum amaſones vſq; ad internitionem penitus ſunt delete. Sed hiſtoria alexandri hec non dicit. immo dicitur amaſonum regina alexandro poſtulanti tributa per nuncios reſcripſiſſe. de tua prudentia eſt mirandum ꝙ cuꝫ feminis confligere ſtatuiſti. quare ſi fauente nobis fortuna ſuccūbere te cōtingat: merito es cōfuſus cum a mulieribus ſis deuictus. ꝙ ſi iratis nobis dijs nos deuiceris parum tibi poterit cedere ad honorem. quia de mulierculis triūphaſti. ſuper cuius reſponſo ad ammiratōem ductꝰ rex generoſus. dixit: decens fore nō per gladiuꝫ ⁊ furorem mulieres vincere: ſed potius ꝑ amorem. propter qđ libertatem eis conceſſit ⁊ ipſas non violentia ſed potiꝰ amicicia ſuo imperio ſbiugauit. De eorum regno ſcriptum eſt in folio p̄cedenti.

Amaſones